

*Fabij Antimachi.*

IVSTINI EX  
TROGO POMPEIO HI-  
STORIA, DILIGENTISSIME NVNC  
quidem supra omneis omnium haclenus aeditiones re-  
cognita, & ab innumeris mendis, uetus*isti*  
exemplaris beneficio re-  
purgata.

H V I C A C C E S S I T C O M M E N T A R I O L V S , Q V I  
præterquam quod historiæ breuitatem paſſim il-  
lustrat, multa insuper ſcitu non in-  
digna addit.



Bafleæ, apud Michaelm Iſingrinum,

M. D. XXXIX.



DE UTILITATE LEGENDAE HI-  
storiæ, Simon Grynæus Lectori.

**S**Iquām certa habet ad uitam documēta hi-  
storia, tam ea sit excerpere & usurpare  
cuius expeditum, mortalibus omnibus re-  
clà proximāq; in uberrimos & fructuosissi-  
mos historiæ campos sine mora irrumpendum iudica-  
remus. Quid enim uel iucundius uel utilius cogitari po-  
test, quām in humanæ uitæ theatro, quod illa partibus  
omnibus mire instructum habet, sedentem, periculis a-  
liorum, sine suo periculo, cautum sapientēque fieri:  
exempla capere omnigena, quæ ad usum tuum utiliter  
qualibet in re traducas: cumq; maximorum hominum  
de summis rebus maximis consilijs interfueris, id quod  
cupidissimè homines auemus, eorundem etiā euentibus  
interesse: & quod per angustiam uitæ hominū impossibi-  
le sit alioqui, secula tota memoria coniungere: maxi-  
morum imperiorū auspicia, progressus, & finem uide  
re: malorum seu priuatorū seu publicorum causas liqui-  
de cognoscere: in omni ardua magnaq; re qui ante te pe-  
ridlitetur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec us-  
quam experimento certo destitui: ac ut in summa dicam,  
è retroactis (quod propriæ sapiētis uiri officium est) fu-  
tura scienter in omnes euentus prospicere, præsentia iu-  
dicare? Sed enim cum tanto instrucliores accedere de-

ceat, quanto fructibus uberioribus grauior historia est & fœcundior: cumq[ue] difficultas sit eadē & de sua & de aliorum uita recte iudicandi: nec alienā quisquam, quantumvis perspicaces hic simus, intueri recte possit, qui non potest suam: utrumq[ue] intelligitur, & summā hic difficultatem uersari, & multò antequam hoc accedamus, nō solum prudentia quadā ciuili tinclōs, sed uitæ totius certo proposito firmatos esse oportere: ni fluctuare animis, & miserè spectris uitæ inanibus circūduci perpetuò uelimus. Quemadmodū enim in amplissimo maximeq[ue] multiplici & omnigenis cupedijs referto conuiuofit, ut quanquā aliud alijs, paucis eadem, sua cuiq[ue], uora cibis omnia probetur, ac prout quisq[ue] palato est, sic praesenti lauitia afficiatur: tamen & modus sit aliquis, quē posuit natura, & alimenti genus certum, simplexq[ue] & incorruptum maxime, maxime corporibus idoneum: à quorum alterutro quisquis discedit, & ultra uel modum uel iudicium nature sibi indulget, incommodi plus ex istis uoluptatibus, quam uoluptatis reportet. Sic in illa totius uitæ humanae diuersitate, quamquam mille species, mille proposita sunt, ac qualiter est animo quisq[ue] & iudicio comparatus, sic de uita uel sua uel aliena sentiat: tamen unica uirtutis uerae callis est, quam qui scienter tenet, recte uita solus utitur: cæteri, quemadmodum illi in coena dubia, cum omnia imuiter, quid potissimum sequantur,

tur, quô tendant, nec in sua ipsius, nec in aliena inuenire  
 uita possunt unquam. At si quicquā est natura datū ho-  
 mini, quo cum recte uti contrāue liceat, hac uti circūspe-  
 cissime decebat. Quotus autem quisq; est, obsecro, qui  
 in omnia dicta, facta uel sua uel aliena, regula uirtutis  
 adhibita, cautius quām in cibos positos animaduertat,  
 quīq; se in isto quidem negocio non satis putet doclum?  
 Qua quidē in re mirū est quām se fallant homines, dum  
 historiam putant esse quæ doceat legentē: quū ea mate-  
 riam discendi tantū suppeditans, sic, quemadmodū con-  
 uiuiū illud, talem unicuiq; præbeat usum, qualiter ipfus  
 est animo affectus. Alios igitur suauitate lectionis ab-  
 duci uidemus, & uoluptatem secutos, fructus illos pul-  
 cherrimos amittere. Iis ex omni historia non amplius  
 quæritur, quām quod ad citharæ cantū ocia fallentibus:  
 scilicet molestiā temporis discutiūt, maiori cum molestia  
 mox cōflictaturi. Nulla enim uoluptas est, quæ nō re-  
 spicit uirtutē. Alios illa fulgens gloriae species tantū  
 solicitat, ac (quæ cæteris in rebus animi flexibilitas est)  
 in omnē eminentē & excelsam imaginē frustra transfor-  
 mat, oblitos, nō aliò gloriofa exēpla scriptorib. posita,  
 quām ut uirtutē secuti, gloriā ipsi quoq; (si nulla offera-  
 tur) contemnere: sīn comes addatur, nō insolentibus ani-  
 mis perferre queamus. Accum ad similē gloriā aspi-  
 rare, sine simili uirtute, nemo nisi stultus instituat: ple-

nō tamē uidemus, tantū quia præclaras res legerūt,  
 arduum quiddam sapere, multū sibi arrogare: tragœdis  
 istis similes, qui personarū quas amplissimas præfere-  
 bant, etiam posito habitu mores imitantur. Sunt etiam,  
 atq; hi non pauci, quos noua mira p; sola oblectant, ple-  
 bejs animis homines, qui imperitorum more persæpe  
 pluris purpuram quam uirum, emblemata quam opus  
 ipsum faciunt. Adeò miram uim in animis legentiū hi-  
 storia exercet. Iam cum excitare socordiam humanam,  
 & aduersus pericula communire, uel maxime propositum  
 historiæ sit: & exemplorū (quibus ad suadendum  
 nihil potentius est) uis eō maxime tendat: securitate ho-  
 minum, nihil ad se aliena pericula pertinere credentiuū,  
 sit, ut surda iacēte p; aure memorabilissimæ res audian-  
 tur legantur p;. Deniq; sunt etiam, qui, quod minime pu-  
 tes, in illam ipsam seuerioris lectionis partē delinquāt:  
 quasi nō ut gestæ sunt, sed ut geri oportebat res, sic scri-  
 bi quoq; deceat. Igitur ex illa securitate partim, partim  
 crapula lectionis promiscuæ & temerariæ, sit, uelut ex  
 humoribus corruptis, ut quedam iudicij & opinionis,  
 quam de uita rectissimam & sanam esse maxi-  
 me decebat, aliorumq; lubricum p; uitæ propositum  
 contrahatur: ac ut intemperantibus nil proficit alimen-  
 tum, sic ad nos lectionis utilitas prorsus ueniat nulla.  
 Vides, arbitror, quonam pacto legendi historiam, &  
 uitam

uitam cuique suam inspiciendi, ratio sit propemodum par. Ac prima quidē hæc difficultas est, iudicij nostri peruersitas inquam: quæ facit, ut non quā maximam ex fæse uim habere exempla decet, sed quā maxime inclinat, propendetq; animus, impellamur. Est uero & illa non minor, quod res gestas sic scriptores apponunt, ut non solum gratiam aliquam captent, sed palatum ipsi quoque suum secuti, ac ueluti structores quidam, iudicium suum interponentes, ultro quædam laudibus tollant, ac quicquid uidetur ipsis, nobis quoque seclandum putent. Quod quidem si facerent simpliciter, consentire dissentirene facilius sit. Nunc quemadmodum coqui glam sèpius quām cōmodum heri speclant, ita lectorem etiam historicus, utinam non magna ex parte caparet. Igitur bifariam iam, & nostro iudicio, & præiudicio scriptorum, persepe circunducimur, ut qui nō nudas res scribant: interpres enim gestarum rerum historicus est, cuius iudicium si uitio laborat, perinde fit ut cum uinum ex fæse generosum & nobile, graueolenti- am uel è uafe contrahit, uel alioqui lenocinio deprauatur: quæ res uel impostaura, uel infictia maxima est, & intoleranda. Videre uno tantum exemplo licet, quid interficit iudicium scriptoris. Prophanus consilio & industriae hominū magnarum rerumuenta tribuens, quanquam mentiri se tot euentibus expertus, in mi-

ram stultitiam coniicit homines: ut quorum omnis notitia  
uix oculis subiectarum rerum considerationi sufficiens, uis  
autem et robur non longe uermiculos supergrediens, ab  
uno leuique successu, terrarum orbis administrationem arro  
get sibi. Sed initatus ille secus: humano consilio geri res  
quidem, sed diuino moderari docens, et stultitia liberat  
homines et superstitione, malo non minore. Per cetera  
quid inter se generibus officiorum distent, debet esse bo  
nis quidem (quorum sacra omnia studia sunt) non ignotum.  
Hac primum eodem moneo, ut cum censem id genus autores  
uel propter immensam exemplorum innumerabilitum uim  
quam maxime legendos, etiam hoc iuuenes cogite, quam ue  
lint circumspecte sollicitaque legi, propositis tatis uel fructi  
bus uel periculis. Perinde enim euenit, si quis uel histo  
riam obiter adeundam, uel uitam ipsam temere, et citra  
exactam officiorum omnium conseruationem transfigurandam du  
cat, quod rusticis: qui cum in uiciniae urbis populatione,  
pharmacopoliu quoddam instruclissimum diriperent, et  
suauitate belliorum aromatumque in qua primum inci  
derant illecli, ceteraque generis eiusdem rati, omnia hau  
rarent, sorberent, uorarent, glutirent, alij correpti mor  
bo, alij phrenesi, plerique exanimati sint, nemo non miris  
modis affectus, risus exercitu toto obortus. Aequem e  
nim comodis, incomodis, ut uita, sic uitae imago historia  
scatet: in usu tantum uitae sita uitae prudentia totius est.  
Vale, et his bene fruere.